

www.e-rara.ch

**Analytica recensio epistolae B. Apostoli Pauli ad Romanos, Cum
quaestionum variarum pulcherrimarum & utilissimarum, singulis
Capitibus intertextarum & annexarum resolutione**

Zwinger, Theodor

Basileae, Anno 1655

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-47467>

Caput V.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPVT V.

POST QUAM Apostolus Capp. præcedentibus docuisset, quâ ratione & modo coram Deo tam Judæi quàm Gentes justificentur, adeoque de CAUSIS Justificationis egisset, quòd scilicet nequaquam ex Operibus Legis, sed per Fidem in Christum, adeoque solâ Dei gratiâ & Christi justitiâ justificemur: nunc progreditur quoque ad eisdem EFFECTA, ex quibus simul superior Doctrina de Justificatione amplius confirmatur.

Effecta illa numero tria recenset.

I. *Εὐθυμίαν & felicitatem* Justificatorum, quâ fruuntur apud Deum. CAP. V.

II. *Sanctificationem & Regenerationem*. CAP. VI. & VII.

III. *πληροφορίαν & Certitudinem salutis*. CAP. VIII.

Quod ergo primum attinet ex Justificatione emergens Beneficium, de eo Apostolus hoc Capite agit dupliciter:

1. *Absolute*, explicando felicitatem Justificatorum.
2. *Comparatè*, per σύγκρισιν & collationem *Status Gratie*, in quem per Fidem & Justificationem transferimur: cum *Statu peccati & miserie*, qui Justificationem antegreditur.

PARS I. CAPITIS.

Felicitatem Hominum fidelium & justificatorum Apostolus tum proponit, tum confirmat.

A. *Propositio Felicitatis justificatorum.*

Gradatim Apostolus eam proponit & describit. Mentionem enim facit 1. *Pacis cum Deo*: 2. προσαγωγῆς & *liberi accessus ad Deum*, ejusq; gratiam: 3. *Perseverantia*: 4. *Spei & expectationis gloriæ cœlestis*: 5. *Consolationis & lætitiæ in adversis*.

1. *De Pace cum Deo* agit vers. 1. *Justificati igitur ex fide pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum*. Quibus verbis Apostolus indicat,

1. *Quâ nam sit hæc Pax*, non externa, mundana, videl. cum Mundo, Joh. 14. 27. Fidelibus enim perpetuum certamen cum Mundo, Genes. 3. 15. Luc. 10. 51. Joh. 15. 19. & 16. 2. sed *spiritualis, interna*.

Ideo

Idèd vocat Apostolus *Pacem apud Deum*, quæ nihil est aliud, quam *σβυβία*, sive conscientiæ & cordis Humani tranquillitas, quæ consistit,

α. In gratia, amore & benevolentia Dei paterna erga Hominem.

β. In sensu hujus amoris & gratiæ, qui est in Homine, quum videlicet Homo non solum cum Deo reconciliatus est, sed etiam de hoc beneficio in suo corde persuasus est.

2. *Quis istius Pacis Author sit*, IESVS CHRISTVS, Dominus noster, tanquam unicus Mediator inter Deum & Homines, *1. Tim. 2. 5.* Procuravit autem nobis hanc Pacem, per *ἀίτηρον* sanguinis sui, quo justitiæ Dei loco nostro satisfecit pro nostris peccatis, quibus iram Dei contra nos thesaurizavimus. *Eph. 2. 13. & c. Coloss. 1. 20.* Hinc vocatur *Pax nostra*, *Eph. 2. 14.* *Princeps Pacis*, *Jes. 9. 6.*

3. *Quomodo Pacis hujus participes fiamus.* Apostolus indicat id fieri per Fidem, quâ justificamur: *Justificati igitur ex fide pacem habemus, & c.* Nam *Fides* in Justificatione apprehendit Christum, atque in eo remissionem peccatorum & justitiam: unde necessariò Pax ista consequitur. Vbi enim est remissio peccatorum, ibi quies & silentium conscientiæ: ubi imputatio justitiæ, ibi simul gaudio perfunditur cor, quia Homo certus est, se Deo in Christo placere, quippe qui sit vestitus justitiâ Christi.

II. De Προσῳγγῆ seu Accessu ad Deum, ejusq; gratiam, agitur *vers. 2.* *Per quem (Christum) etiam fide adducti fuimus in hanc gratiam.* Observ.

1. Accessum nobis liberum patere ad thronum Dei, quod privilegium est filiorum Dei, non alienorum, *2. Corinth. 5. 14, 15, 16.* *Ephes. 2. 19.*

2. Accessum nos habere ad gratiam Dei. Justificati enim non amplius experiuntur Deum Judicem, sed gratiosum Patrem. *Rom. 8. 15.*

3. *Per Jesum Christum.* Ipse enim, uti pacem nobis procuravit apud Deum, ita liberum quoque aditum ad ejus gratiam, *Eph. 2. 18. Johan. 14. 6.* Hinc vocat se *ostium*, *Johan. 10. 7.* Aditum autem hunc nobis

α. Fecit per mortem suam, rumpendo velum, *Hebr. 10. 19, 20.* & ascensionem in Cælum, *Hebr. 9. 24.*

β. *Facit* indefinenter apparendo & intercedendo pro nobis apud Patrem in cœlesti Sanctuario. *Hebr. 9. 24.*

γ. *Faciet* plenè in altero suo glorioso adventu. *Job. 14. 3.*

4. *Addit, Accessum nos hunc habere τῆ ἀίσεως.* Vtique non per operum merita, quæ hætenus Capp. præcedentibus oppugnauit; sed per fidem: quia fide peruenimus ad Christi, & per consequens Dei communionem. *Hebr. 11. 6. & 10. 22.*

III. *Perseuerantiam* porrò insinuat Apostolus, quum subdit: *in qua, scilicet gratia, stamus.* Multum dixit, *nos pacem habere apud Deum,* nos liberum aditum habere ad eius gratiam. Nunc plus dicit, *quod in hac gratia stemus & perseueremus.* Hoc iterum privilegium est iustificationum. Quamquam enim imbecillitatis suæ respectu cespitare, nutare, labascere possint; tamen *virtute Dei per fidem custodiuntur ad salutem,* *1. Pet. 1. 5.* Principum terrenorum gratia *μετὰ μέλιτος* est: at Dei, quâ suos in Christo complectitur, gratia *ἀμύτητος* est. *Rom. 11. 29.*

IV. *Spem gloriae futuræ* indigitat Apostolus, addens: *& gloriamur sub spe gloriae Dei.* Ad hoc beneficium transit prolepticè.

Obijcere quis potuisset: Præclara quidem esse hæc beneficia paucis, *πρόσχωγῶν* ad gratiam Dei, & perseuerantiæ; interim fideles cruci & innumeris afflictionibus esse obnoxios, ut miserrimi esse videantur omnium Hominum, *1. Cor. 15. 19.*

Respondet Paulus: *Gloriamur sub spe, &c. Q. D.* Crux istam felicitatem non impedit vel auferit: quia fideles in cruce sustentat spes gloriae cœlestis, quod similiter Paulus insinuare voluit citato loco, *1. Corinth. 15. 19. Obseruetur*

1. *Spei mentio.* Hæc est fidei iustificantis proles. Nam cum spes sit expectatio promissorum bonorum, necesse est eam præcedere fidem, seu fiduciam promissionum. Hinc non raro pro eodem sumitur credere & sperare, fiduciam reponere in Deum & in eo sperare. Sic quoque *spe seruari* dicimur, *Rom. 8. 24.*
2. *Objectum Spei, gloria Dei.* Non intelligitur absolute & simpliciter gloria illa, quæ est in Deo, *ἀπρόσῳτος*, *1. Tim. 6. 16.* sed effectivè ejus gloriae fruitio & participatio, quam consequemur in altero seculo.
3. *Adjunctum aut effectum hujus Spei, κἀύχνηος, gloriatio.* Sic indicat hujus Spei certitudinem, quæ tam firma est, ut de felicitate sperata fideles non minùs exultent, quàm si reapse
câ frue-

eâ fruere. Atq; hinc iterum Sanctorum perseverantia arguitur.

V. *Consolationem tandem & latitiam in adversis* Apostolus persequitur v. 3. *Neque id solum, sed etiam gloriamur de afflictionibus, scientes, quod afflictio tolerantiam efficiat: v. 4. tolerantia verò experientiam, experientia verò spem. v. 5. Porro spes non pudefacit, eò quod charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Pergit in his verbis Apostolus in prædictæ tacitæ Objectionis, de cruce & afflictionibus fidelium in hoc seculo, refutatione, idque in solatium fidelium Romanorum & aliorum, quibus tùm temporis ab infidelibus Gentilibus atque Judæis variæ persecutiones erant sustinendæ. Multum videbatur iterum dixisse, quod fideles *in tribulationibus gloriantur sub spe gloriæ Dei.* Nunc verò aliud & magis mirandum inculcat, quod insinuant verba, *ὁ λόγος ὅς*: *non hoc verò solum, sed etiam &c.* Considerand.

8. *Thesis* Apostoli: *Gloriamur de afflictionibus.*

Afflictionum nomine non intelligit calamitates, quas, ceu justas pœnas, improbi suis sceleribus sibi accersunt, de quibus gloriari non possunt; sed eas, quas fideles innocentia & inprimis Christi causâ patiuntur. *1. Pet. 4. 15, 16.*

Gloriamur &c. Observandum, Apostolum non tantùm hoc dicere velle, quod fideles *afflictionum non pudeat*; neq; hoc tantùm, quod *in afflictionibus gloriantur*, sicuti jam id innuerat *versu præced.* sed, ut Beza rectè transtulit, quod *gloriantur de afflictionibus*: aded ut afflictiones sint materia & causa gloriationis illorum. Hoc utique paradoxum Christianum magnum est: cum communiter afflictiones causentur magnam tristitiam, lamentationes & querimonias.

9. *Probatio Thesis*: quæ desumpta est ex *Afflictionum effectis*, virtutibus videlicet variis & salutaribus, quas Deus mediantibus afflictionibus in nobis operatur; inprimis verò *Spe gloriæ cœlestis.* Vtitur autem Apostolus gradatione eleganti, in forma Soritis hoc modo:

Afflictio efficit patientiam:

Patientia experientiam:

Experientia spem:

Ergo afflictio efficit spem.

Exhibet ergo Apostolus nobis in verbis suis Virtutes præcla-

ras, quæ emergunt ex afflictionibus tanquam rosæ ex spinis. Earum.

1. *Patientia. Afflictio patientiam efficit.* Quod enim magis Homo cruci assuefit, eò tolerantior redditur: cum è contrario qui delitiis assueti sunt, impares sint ferendæ cruci, si quando præter morem eorum & expectationem eâ premantur.
2. *Experientia, quæ emanat ex patientia. Tolerantia verò, ait Apostolus, efficit experientiam.* Afflictiones per se Hominem reddunt expertum, quia deducunt ipsum in notitiam suæ imbecillitatis & vanitatis. Quod si *patientia* accedat, ejus beneficio Homo deducitur in experientiam Divinæ
 - a. *Potentia* atque *virtutis*, quâ in calamitatibus sustentatur, ne prorsus succumbat. 2. Cor. 12. 9.
 - b. *Sapientia*, quâ mirabiliter suos, præter ipsorum cogitationes, gubernat. Psal. 4. 4. Jes. 55. 9.
 - c. *Bonitatis & misericordia*: quia Deus fideles in afflictionibus non deserit, sed auxilio suo ipsis præstò est, eosque tandem eripit. Psal. 22. 25. Jes. 49. 14. & c. Lament. 3. 31. Heb. 13. 5.
 - d. *Veritatis*: quia Deus semper memor manet suarum promissionum erga fideles. Jer. 31. 20.
3. *Spes, quam parit & auget experientia.* *Experientia* enim præteritæ atq; præsentis Dei virtutis, sustentationis & auxilii in tribulationibus, edocti fideles; spem quoque concipiunt futuri auxilii & liberationis. *Exempl.* inter alia Davidis, 1. Sam. 17. 36. Hinc Apostolus *Spem* amplificat ab adjuncta *firmitate*: *Spes non pudefacit.* quia fideles re speratâ nunquam excidunt, sed tandem eâ certò potiuntur. Psal. 22. 6.

B. *Confirmatio Felicitatis justificatorum.*

Confirmat nunc porrò Apostolus hanc doctrinam de *felicitate fidelium*, in qua argumentis gravissimis probat id, quod hætenus asseruit, potissimum illud, quod de *Spei*, & per consequens speratæ Salutis fidelium immobilitate proposuerat verbis proximè præcedentibus. Docuerat enim; tantum abesse, ut afflictiones impediunt salutem;

litem; ut modis omnibus potius eam promoveant: sicque ad eò satis indicavit, quàm certa, firma & immobilis sit Salus fidelium. Hoc ergo nunc probat argumētis principalibus duobus, desumptis à causis hujus salutis & felicitatis Fidelium, videlicet,

I. A' *Charitate Dei, vers. 5. ed quòd Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Vbi primùm fundamentum firmitatis spei & salutis nostræ ponit, videlicet certitudinem amoris Dei erga nos, *vers. 5.* Vbi considerand.

a. *Subiectum.* Quid per *Charitatem* intelligat. Est amor seu charitas Dei alia in nobis erga Deum; alia in Deo erga nos: sumiturque ad eò tùm *activè*, tùm *passivè*. Papistæ sumunt *activè*, & putant, Charitatem, quâ nos Deum diligimus, esse causam meritoriam salutis: quod falsissimum est. De hac enim charitate non loquitur Paulus. Patet; 1. Quia repugnaret scopo. Nam ex hac Charitate vult Apostolus còcludere firmitatem Salutis. At qui ex nostra charitate erga Deum, ceu causa, non potest concludi; quia est imperfecta. 2. Quia postea *vers. 8.* in eadem persistens materia expressè nominat *Charitatem Dei erga nos.* 3. Quia Charitas ista est causa Mortis Christi. At qui de nostra charitate hoc non potest dici; quia Christus non pro diligentibus ipsum, sed pro inimicis mortuus est. *1. Joh. 4. 10.*

b. *Attributum.* Quid dicat de *Charitate* hac. *Effusa est, &c.* Vbi tria notanda veniunt:

a. *Beneficium* ipsum charitatis Dei. Non simpliciter intelligit amorem Dei, sed amoris hujus sensum in cordibus nostris, quo cor nostrum sentit, se à Deo diligi.

b. *Adjuncta* beneficii largitas. Chrysostr. *Non dicit, data est, sed diffusa est in cordibus nostris, ut largitatem & abundantiam manifestet.* Sic enim alibi quoque verbum *effundendi* sumitur, *Jes. 45. 3. Joël. 2. 28. Zach. 12. 10.* Indigitatur ergo heic, *corda nostra impleri charitate Dei,* id est, ejus *πληροποιεῖν*, persuasione & sensu.

c. *Origo* beneficii. Non ex nobis, quia sumus naturâ inimici Dei, & filii iræ. Ergo aliunde, videlicet per Spiritum S. Atque ut appareat, donum Spi-

ritus Sancti esse gratuitum, addit, *qui datus est nobis.*

II. A' *Morte Christi, vers. 6--11.* quo 1. *immediatè* Apostolus vult confirmare, quod proximè dixerat de charitate Dei erga nos. 2. *Mediatè*, thesin principalem de felicitate Iustificatorum per fidem. Sic autem vult Apostolus ratiocinari:

Major. Quos Deus dilexit existentes adhuc peccatores & inimicos, eos multò magis diliget, & per consequens seruabit jam reconciliatos.

Minor. Atqui Deus nos dilexit, quum adhuc essemus peccatores & inimici. *Probat* Apostolus ex effectu Dilectionis Dei, videlicet *Morte Christi*: quam

a. *Ponit, v. 6.* *Christus enim, quum adhuc nullis viribus essemus, præstituto tempore pro impiis mortuus est.* Q. D. Ex eo manifestum est, quantoperè nos diligit Deus, quia Christus Filius Dei pro nobis mortuus est præstituto tempore. Dilectionis argumenta sunt à consideratione

a. *Personæ*, quæ mortua est, videlicet CHRISTI, qui Filius Dei est.

b. *Nostri*, pro quibus mortuus est, qui fuimus ἀδελφοί, qui nihil habebamus virium, inepti ad bonum, impii, in peccatis mortui, ut alibi, *Ephes. 2. 1.*

c. *Meriti Christi*, quum dicitur, quod mortuus fuerit, quæ Mors fuit maledicta, ignominiosa, videlicet Crucis.

d. *Temporis præstituti.* Quidam ad statum referunt peccati, ut ἡγάρος referatur ad antecedens ἀδελφῶν. Alii meliùs referunt ad sequens ἀπέθανε, mortuus est, & accipiunt de opportuno tempore præstituto à Deo, sive de plenitudine temporis, de qua *Galat. 4. 4.*

b. *Illustrat* Comparatione Imparium, cuius

1. ἡγοράσις, *vers. 7.* Enimverò vix pro iusto quisquam moriatur: nam pro bono viro forsitan aliquis mori etiam sustineat. Rarissimum inter Homines tantæ charitatis exemplum occurrit, ut quis pro iusto vitam ponat. Hoc sibi vult vox μέλις, vix. Sequitur tamen *Correctio.* quanquam fieri fortasse possit, ut moriatur quis pro bono. Quidam, pro iusto. Alii, pro benefactore, à quo posset

posset ad ipsum aut familiam ejus redundare aliquid bonum. Ac respicit fortè Paulus ad exempla nonnulla obvia etiam apud Gentiles, tum Græcos, tum Romanos, v.g. Curiorum, Horatorum, M. Curtii, & consimilium. Verùm, concessò hoc, nemo Hominum reperitur, qui pro impio velit vitam perdere.

2. *Αὐτὰρ ὁ λόγος, vers. 8. Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quòd, quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.* Longè aliter Deus erga nos affectus est. Nam 1. Pater Filium suum innocentem pro nobis in mortem dedit. Quando hoc unquam auditum, ut Parens aliquis Filium suum Nebulonis alicujus gratiâ in mortem tradiderit, quo ei parceretur? Hoc Deus fecit. 2. *Filius se-met-ipsum ex Patris voluntate tradidit pro nobis lubentissimè. Psal. 40. 9. Luc. 22. 15.*

Conclusio. Hinc concludit Apostolus: 1. Ergo jam reconciliatos per Christum Deus magis diliget: 2. & per consequens servabit ab ira: *vers. 9. Justificati igitur ejus sanguine, servabimur multò magis per eum ab ira illa*, videlicet afflictionibus & exitio, tum metaphorice, tum metaleptice sumpto *Ira* vocabulo: 3. glorificabit: *vers. 10. Nam si, cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus, multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius*: 4. adeoque gloriari meritò possumus in Deo: *vers. 11. Neq, id solùm, verùm etiam gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem recepimus.* Sic redit ad illud, quod *vers. 2.* proposuerat de *Gloriatione Christiana*, & cõcludit partem primam hujus Capituli. Quanquàm sunt, qui putent, *vers. 11.* notari summum Gloriationis Christianæ gradum, ut *primus* sit, Gloriari in spe gloriæ: *secundus*, Gloriari in afflictionibus: *tertius*, Gloriari in Deo ipso, tanquam summo Bono, in & per Christum.

Consequentia autem totius hujus argumentationis firmitas & veritas à Paulo demonstratur in *antithesi*, quam instituit, gemina,

- a. *Hominum peccatorum & reconciliatorum.* Nam si peccatores & inimici diligantur, quantò magis justificati & jam facti amici, adeoque Filii Dei?
- b. *Mortis & Vitæ Christi.* Nam si *Mors Christi* valeat ad nos servandos, existentes peccatores; quantò magis nunc

Vita.

Vita Christi, in qua ipse in Cœlis vivit & regnat in secula seculorum, nobis proderit jam reconciliatis? Neque enim minor humiliati & mortui, quam glorificati & in æternum viventis Christi virtus censenda est.

Et hæc ergo est quoque *altera Confirmationis Pars*, desumpta à *Morte Christi*, quâ confirmat Apostolus theses minùs principales, 1. *proximè*, nos diligi à Deo: 2. *propinquè*, spem nostram pude fieri non posse, sive, certam esse salutem nostram & immobilem: 3. *remotè*, gloriationem nobis esse in Deo.

QVÆSTIONES.

Quæst. I. Cur justificati ex fide dicantur pacem habere apud Deum per Christum & quòd etiam facit, quòd vers. 5. dicitur: Charitatem effusam esse in cordibus fidelium. Rat. dub. Quia non rarò fideles sentiunt sibi Deum iratum in gravioribus tentationibus, usq; ad conflictum cum desperatione. Exempl. Jobi cap. 7. 15. Davidis, Psal. 22. 2, 3. & 13. 2. & 42. 8. & 116. 11. & aliorum.

Resp. 1. Distinguendum inter Pacem ipsam, quæ semper durat, Jesa. 54. 10. & 9. 7. Job. 14. 27. & Pacis illius sensum, qui nonnunquam intercipitur & turbatur per peccata, tentationes & calamitates. 2. Distinguendum inter fiduciam, quâ de amore Dei in cordibus nostris persuasi sumus, actum primum, quo nunquam totaliter & finaliter privamur; & actum secundum, qui non rarò suspenditur a deo, ut in spirituale aliquod Cordis & Animæ deliquium fideles incidant. 3. Distinguendum inter iram Dei judicariam, à qua fideles sunt exempti; & paternam, quæ ex affectu Dei paterno nascitur, & desinit in bonum, & salutem fidelium. Apoc. 3. 19. Rom. 8. 17. 18.

Quæst. II. Cur fidelibus vers. 3. tribuatur καύχησις, gloriatio, non solum in adversis, sed & de adversis, qui non rarò profundunt summas querelas & lamentationes?

Resp. Fideles considerari possunt secundum carnem & spiritum, externum & internum Hominem. Secundum Carnem non rarò gemunt sub cruce. Exempl. Jobi cap. 7. 3. & 6. Davidis, Psal. 6. 7, 8. & 69. 4. Hiskia, Jesa. 38. 14. Pauli ipsius, 2. Cor. 12. 7, 8. Secundum Spiritum se erigunt, exultant & gloriantur. Exempl. iterum Pauli, 2. Cor. 11. 5. Rat. 1. Quia nôrunt eam proficisci à paterno Dei animo: 2. Ejusdem auxilio se sublevari: 3. Eam cedere ad ipsorum vel παιδείαν, vel δοκιμασίαν, vel κριτήριον, hincque ad ipsorum sempiternam felicitatem, 2. Cor. 4. 17.

Quæst. III. Cur afflictiones eodem vers. 3. dicantur operari patientiam: cum experientia videatur contrarium testari, non solum in infidelibus, sed non rarò in fidelibus?

Resp. 1. Afflictiones non intrinsecus & suâ naturâ operantur patientiam, cum naturæ Hominis adversentur; sed extrinsecus & occasionaliter per supervenientem Dei gratiam: quia Spiritus Sanctus iis utitur ceu mediis ad fidem nostram exercendam & explorandam, ex qua fide postea nascitur patientia, ut explicat Jacobus cap. 1. 2, 3. 2. Fideles ita per afflictiones ad impatientiam sollicitantur secundum Carnem: ut tamè secundum Spiritum iterum, ut modò dixi, se erigant meditatione voluntatis Divinæ, fiducia gratiæ ejus & auxilii, & spe liberationis, ut in impatientia non maneant finaliter, Exempl. Jobi cap. 13. 15. & 19. 25, 26, 27.

Quæst.

Quest. IV. Nunquid Paulus, dicens *vers. 4.* ὑπομνήσας, Patientiam, efficere δοκιμῶν, experientiam; videatur contradicere Jacobo *cap. 1. v. 3.* dicenti: δοκιμῶν τὴν πίστειν, experimentum fidei, efficere ὑπομνήσας, patientiam?

Resp. Ἀνολογία nulla est, quia Jacobus per δοκιμῶν, experimentum fidei, intelligit tentationes & calamitates ipsas, & hæc tenus idem dicit, quod Paulus dixerat *vers. preced.* afflictiones operari patientiam. Paulus autem *vers. hoc 4.* per δοκιμῶν non intelligit afflictiones, sed effectum afflictionum apud fideles, mediante patientiâ. Paucis, Jacobus loquitur de δοκιμῶν, videlicet exploratione Dei, qui fideles explorat per tentationes & afflictiones. Paulus autem de δοκιμῶν sive exploratione Homini, quâ Homo per patientiam in calamitatibus explorat & experitur tum suam vanitatem, tum Dei bonitatem, potentiam &c. uti in Analyti dictum.

Quest. V. Cur Spes non dicatur pudefacere, *vers. 5.* cum fideles non rarò videantur Spe suâ frustrati fuisse, & excidisse? *Exempl.* Davidis & Nathanis, etiam in pio proposito, 2. *Sam. 7. 1, 2, 3.* & Pauli orantis procul dubio non absque spe, 2. *Cor. 12. 8.* sed tamen frustranea.

Resp. 1. Cum Spes pendeat à Fide, & hæc à Verbo & promissione Dei, dico, Spem nunquam pudeferi, quæ ex Fide in Dei non solum generalem promissionem gratiæ, vel etiam specialem alicujus particularis beneficii dirigitur. Nititur enim Dei & Verbi ipsius ἀσθενεία & veritate. 2. Spes fidelium, quæ pender à Dei promissione, non est restringenda ad certas aliquas Circumstantias, in illa non expressas, vel personæ, vel temporis, vel loci, vel modi, &c. 3. Hinc facile est ad exempla allata respondere.

- α.* Davidis spes non fuit fundata in speciali sibi, quoad suam personam, factâ promissione de ædificatione Templi. Nec tamen caruit prorsus suo effectu: quia, quod Patri in propria persona, propter causam particularem, fuit negatum; id fuit ei datum & donatum in Filio Salomone.
- β.* Pauli precibus & spei 2. *Cor. 12. 8.* negatum quidem fuit pro tempore beneficium liberationis à Satanæ colaphis. Nec tamen Spes ejus pudefacta. *Rat. 1.* Quia majus beneficium ei concessum, Gratia Dei & vividi ejus sensus, 2. *Cor. 12. 9.* 2. Quia ipsa Satanica tentatio & vexatio cessit ipsi in salutem & gloriam, propter luctam cum auxilio & virtute Dei conjunctam, hincque victoriam. Itaque adeò non pudefit Spes fidelium, ut quum videretur frustrari per contrarios eventus, obtineat id ipsum, quod sperat & expectat.

Quest. VI. Quo sensu Christus dicatur mortuus esse ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν, pro impiis: item *vers. 8.* ὑπὲρ ἡμῶν, pro nobis?

Movetur *Questio* propter Socinum, ejusque Discipulos & asseclas, qui negant, Christum loco & vice nostrâ, ad satisfaciendum pro nostris peccatis, mortuum esse. Itaque docent, particulam illam ὑπὲρ non semper significare idem, quod ἀντὶ, vice aut loco alterius; sed sæpenuerò finem, usum & utilitatem alicujus rei, ut sensus sit, bono illius.

Resp. Ἐξωνόμος est, voces ὑπὲρ, ut & περὶ, pro, propter, non semper denotare vicem, sed & causam finalem & utilitatem rei alicujus. Negamus autè in locis illis, quæ agunt de Morte Christi, quam pertulit pro nobis, nihil aliud designare. *Rat. 1.* Quia *vers. 7.* hujus Cap. vox ὑπὲρ, quum dicitur quis mori pro aliquo iusto & bono, significat idem, quod vice seu loco illius; ut infinetur Christi major & inaudita charitas, qui vice hominum non iustorum, sed impiorum mortuus fuit. 2. Alibi expressè dicitur, Christum dedisse animam suam ἀντὶ πολλῶν, id est, vice & loco multorum, & quidem tanquam λύτρον, pretium redemptionis, quod Hebræis est Geylla, *Matth. 20. 28.* *Marc. 10. 45.* Hinc alibi vocatur

ἀπολόγητον, 1. Tim. 2. 6. ἀπασι, Luc. 1. 68. ἔν 2. 38. item ἀπαλόγητος, Rom. 3. 24. Luc. 21. 28. Ephes. 1. 7. Col. 1. 14. 3. Accedit hæc ratio, quod Christus in talibus locis introducatur is, qui pati debuit ὑπὲρ ἡμῶν, quod nobis patiendum erat, secundum tenorem Justitiæ Dei, & comminationem Legis, nobis incumbentem. Itaque hæc ipsius Passio non tantum potest intelligi tanquam *fructuosa* nobis, sed & tanquam *vicaria* nostro loco. 4. Eodem prorsus sensu vocula ὑπὲρ alibi quoque sumitur, in locis similibus, *Johan. 11. 50. Rom. 9. 3.*

Quest. VII. Cur Paulus vers. 7. te & insinuet, neminem pro impio mori velle? Rat. dub. in contrarium, Exempl. Moysi, Exod. 32. 32. & Pauli, Rom. 9. 3. qui semet-ipsos pro inimicis & impiis devoverunt.

Resp. 1. Paulum loqui de exemplis Historiæ Humanæ. 2. Exempla ista esse prorsus extraordinaria, propter extraordinarium donum charitatis, quod acceperant Sancti isti. 3. Ita fuisse inimicos & impios, pro quibus se devoverant, ut tamen nec Moses, nec Paulus eos, quantum ad se attinet, inimicos duxerint, sed amicos & Fratres, propter Dei fœdus.

Quest. VIII. Nunquid Paulus vers. 8. ἔν 10. ἀνὸν κλωσά dicat: Deum dando pro nobis Filium suum in mortem, commendasse nobis suam charitatem, & demum tamen nos per mortem ejus Deo fuisse reconciliatos?

Resp. Distinguendum inter Charitatem Dei antecedentem, quâ nobis ab æterno Filium suum Reconciliatorem ordinavit, & in tempore misit, quæ latuit antè in Dei consilio abscondita; & inter consequentem, cujus sensum Deus post reconciliationem factam cordibus nostris imprimat, quando nos non tanquam inimicos, amplius sibi reconciliandos; sed tanquam filios, sibi jam reconciliatos in Christo paternæ suæ benevolentiae testificatione complectitur. Ut quum Pater familiâs diligit primum Servum, quâ talem, destinatum ei adoptionem: subindè diligit adoptatum, quâ Filium.

PARS II. CAPITIS V.

Hactenus absolutè actum de Felicitate Justificatorum. Nunc comparatè de eâdem agit Apostolus, instituendo σύγκρισιν inter Statum Peccati, qui ortum trahit ab ADAMO; & Statum Gratia, qui ortum trahit à CHRISTO, seu Adamo secundo.

Occasio ex verbis precedd. in quibus mentio facta mortis Christi & reconciliationis nostri cum Deo per eam: nec non peccatorum & impiorum, pro quibus Christus mortuus est.

Scopus, ut doctrina de Justificatione per fidem magis confirmetur, & ostendatur, Justitiam, quâ justificamur, non in nobis, sed extra nos in Christo solo quærendam. Non, inquam, in nobis, quia nos sumus omnes naturâ ab Adamo peccatores: in Christo verò, quia, quod Adam perdidit, Christus summo cum fœnore restituit.

COMPARATIO autem ista ab Apostolo primùm proponitur & explicatur, vers. 12--17. Deinde concluditur, vers. 18, 19. Tandem vindicatur contra tacitam Objectionem, sub fin. Cap. vers. 20, 21.

I. *Propositur*, inquam, mentione factâ

A. *SIMILITUDINIS*,

vers. 12, 13, 14.

Summa hæc est: Sicut ab Adam & per ipsum peccatum & mors Mundum introiit & pervasit; sic è contrario ab altero Adamo, videlicet Christo, & per ipsum, justitia & vita. Hujus Similitudinis observanda veniunt tum

Termini oppositi,	}	ADAM,-----CHRISTVS.
		PECCATVM,--IVSTITIA.
		MORS,-----VITA, SALVS.

Partes duæ, Protasis aperta: Apodosis tecta.

1. PROTASIS habetur *vers. 12. Propterea sicut per unum Hominem peccatum in Mundum introiit, ac per peccatum mors: & ita in omnes Homines mors pervasit, in quo omnes peccaverunt. vers. 13. Nam usq; ad Legem peccatum erat in Mundo: peccatum verò esse non putatur, non existente Lege. vers. 14. Regnavit autem mors ab Adam usq; ad Mosen, in eos etiam, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adam.*

Sensus est: Ea est ratio miseri illius status, in quem nos unâ secum præcipites dedit Adam, Pater omnium nostrum, ut ab ipso trahamus duo mala, & quidem catholica, pertinentia sine discrimine ad omnes Homines:

1. *Culpa, Peccatum. vers. 12. a. per unum Hominem i & uaplix, Peccatum, in Mundum (intelligitur totum Genus Humanum) introiit.*
2. *Pena, Mortem. vers. 12. b. & ita in omnes Homines Mors pervasit, quo nomine non solum temporalis, sed & aterna est intelligenda, juxta primævam Dei comminationem, & Legis maledictionem.*

Attexitur huic protasi Apostolicæ

a. *Aitioloyia, confirmatio, quâ ratio redditur derivationis utriusque mali, tum culpa, tum pæna, peccati, inquam, & mortis ab Adamo in omnes reliquos Homines, v. 12. c. i p' q' pabtes & uaplix, in quo omnes peccârunt. Sensus est, ab Adamo omnes posteros perditos, quia omnes sine discrimine lapsus ipsius sive inobedientiæ primævæ participes facti fuerint. Quomodo hoc sit intelligendum, dicam in Questionibus.*

b. *Prolepsis, occupatio. Quia dixerat Apostolus, peccatum introiisse in Mundum ita, ut per illud mors pervaserit in omnes Homines;*

objicere quis potuisset : peccatum ante Legem non esse potuisse, quia nimirum peccatum sit *αὐτομάτῃ*, uti etiam suprā dixerat *Cap. 4.15. Vbi non est Lex, ibi nec transgressio est.*

Respondet Apostolus

1. Per affirmationem contrariam, *vers. 13. a. Nam usq; ad Legem peccatum erat in Mundo.* Quantumvis enim nondū fuerit per Mosen scripta, tamen nec Gentibus defuit Naturæ Lex, cordibus eorum insculpta, de qua suprā *Cap. 2.14, 15.* nec Ecclesiæ Dei defuit, uti Verbum, ita Lex *ἄγροφῶ* : imò [NB.] ipsa Lex Adamo ante lapsum lata, in ipso omnibus posteris lata fuit, ex primo Dei cum Homine pacto.
2. Per distinctionem inter *τὸ ἔργον τοῦ ἁμαρτωλοῦ*, *v. 13. b. Peccatum verò esse non putatur, non existente Lege.* Sensus est: ante Legem Mosis latam peccati non fuit habita ratio, scilicet ab Hominibus, per æstimationem & detestationem culpæ ipsius. Nam absque Legis objurigatione Homines malis quodammodò indormiunt.
3. Per probationem ab effectu Peccati, scilicet *morte*: quia *ea regnavit ab Adamo usq; ad Mosen, v. 14. a.* & quidem dominio universali, à quo ne quidem Infantes fuerint exempti, *v. 14. b. in eos etiam, qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adam.* Qui intelligantur, dicam in *Questionibus.* Vult dicere Apostolus: Tantum abest, ut quisquam ante Legem Mosis peccatorum, & per consequens morti obnoxiorum numero eximi potuerint; ut ne ipsi quoque Infantes, omni peccato actuali carentes, immunes esse potuerint. *Ration.* tūm propter participationē *reatus* peccati primi Adamici, ipsis imputati: tūm propter peccatum seu *corruptionem* originalem, in qua, vi illius imputationis, fuerant concepti & nati.

3. *APODOISIS* cryptica latet in paucis illis verbis, *v. 14. c. qui (scilicet Adam) est typus futuri, CHRISTI* nimirum. Potest ea sic evolvi:

Qualiter se habet Adamus ad suos posteros, ab ipso naturaliter descendentes; taliter se quoque habet Christus ad suos fideles, ipsi à Patre datos, & morte ipsius redemptos.

Atqui Adam primus ita se habuit ad suos posteros, ut per suum

παρὰ τὴν ἰσότητα & lapsum causa ipsis fuerit tūm peccati & reatus, tūm mortis.

Ergo Christus, ceu alter Adamus, ita quoque se habet, ut omnibus ad ipsum prædicto modo pertinentibus, sit causa iustitiæ & vitæ atque salutis æternæ.

B. DISSIMILITVDINIS.

Dissimilitudinem nunc aut potiùs *Disparitatem* Apostolus pertrahat utriusque prædicti *Status* tūm *Miseriæ*, quem ab Adamo; tūm *Gratiæ*, quem à Christo trahimus. *Διότι*. Ne Christus in conferendo bono vel minor Adamo, in conferendo malo; vel prorsus æqualis putaretur; adeòq; appareret, per Christum plura nobis restituta, quàm per Adamum perdita; hincque Statum, in quem Christus nos reposuit, longè esse feliciorē, quàm vel ipse *Status* primæ *Innocentiæ* fuerit, vel etiam infelix sit *Status peccati* & *miseriæ*.

Monstrat autem Apostolus istam *Disparitatem*

κ. Per *σύνεσιον*, collationem Lapsus Adami, ejusque effectus, scilicet mortis; cum opposita ei Dei gratia, ejusque effecto, scilicet donatione per gratiam. v. 15. *At non ut offensa*, ita etiam est, quod Deus *gratificatur*. Nam si unius illius *offensâ* multi mortui sunt, multò magis *gratia Dei*, & *donatio per gratiam*, quæ est unius illius *Homini* Jesu Christi, in multos *extendavit*. Obierventur heic

A. *Termini*, quibus utitur Apostolus à parte tūm

a. *Adami*, quem vocat *τὸν εἰς*, unum illum, non exclusâ *Fœminâ*, *Evâ*, quæ primūm peccavit, sed subintellectâ sub *Marito* ceu capite *Vxor*is, & radice totius generis *Humani*. Mentionem facit

1. *Offensa*, *παρὰ τὴν ἰσότητα*. Intelligit lapsum primum, actua-
lem videlicet inobedientiam Adami, quâ transgressus est interdictum Dei, *Genes. 3.*
2. *Mortis*, ex illa offensa, quæ non tantūm fuit *corporalis*, in divulsione subsequutura *Corporis* & *Animæ*; sed & *spiritualis*, in separatione *Homini*s à Deo, omnis *Vitæ* fonte: non solum *temporalis*, sed & *æternæ*, juxta comminationem: *Morte morietur*, *Genes. 2. 17.*
3. *Multorum*, *πολλῶν*. ab Adamo perditorum. Heic *πολλοί* sunt omnes & singuli *Homines*. *Rat.* Quia non solum omnes in lumbis ejus fuerunt, & naturaliter ab

ipſo descendant; ſed etiam primitus omnes fuerunt comprehenſi in pactione illa & ſœdere, quod Deus cum primo Homine pepigerat: ut ſcilicet in caſu perfeuerantis *obedientia*, author eſſet omnibus propagandæ ad ipſos iuſtitia & vitæ; in caſu verò *inobedientia* idem omnibus & ſingulis triftis eſſet author reatus & mortis.

1. *Chriſti*, quem vocat etiam τὸν οὖν ἀνθρώπον, unum illum Hominem, tanquam uni Homini Adamo è regione oppoſitum. Mentionem facit

1. *Gratia Dei*, τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ, quia Chriſtus nobis datus ex gratia Dei, & gratia hæc in eo & per eum nobis facta eſt, *Johan. 1. 16, 17*. Per *Gratiam* autem intelligit Apoſtolus *Gratiam*, quæ eſt in Deo, amorem ſcilicet ejus, benevolentiam, & miſericordiam.

2. *Donationis per gratiam*, δωρεῆς ἐν χάριτι. Intelligit donum Juſtitia, ſive Juſtitiam ipſam, quam habemus in Chriſto & à Chriſto: in Chriſto, *ſubjectivè*; à Chriſto, *imputativè*: quod patet ex *v. 17*. ubi vocatur donum *Juſtitia*.

Notetur, α. Apoſtolum utramque & *gratiam*, & *donationem per gratiam*, opponere παραπτώματι Adami. β. Bona illa, quæ à Chriſto accipimus, gratia accepta referre. Vtitur enim tribus vocibus, *χαρίματι*, *χάριτι*, & *δωρεῆς ἐν χάριτι*: ut oſtendat, quicquid *malorum* ab Adamo ad nos descendant, eſſe à *natura*; quicquid verò *bonorum* à Chriſto ad nos descendant, eſſe à *gratia*: ut nihil iterum Hominiſ dignitati aut merito, in negotio noſtræ Juſtificationis & ſalutis, ſit admetiendum.

3. *Abundantia*, περισσούματι *gratia* & *doni per gratiam*, ut inſinuat, longè abundantioſiorem eſſe doni & boni Chriſti, quàm mali Adamici rationem.

ε. *Collatio ipſa*. Diſparitatem Apoſtolus geminam in verbis allegatis inſinuat.

1. Quòd Adam per *naturam* offenſam ſuam propagarit ad multorum exitium: Chriſti autem iuſtitia per *gratiam* multis contingat.

2. Quòd longè majore virtute & efficaciâ bonum & donum iuſtitia Chriſti deriveretur ad multos, quàm malum hæredi-

reditarium Adami ad multos. Ideò dicit: πολλὰ μᾶλλον ἐπέσπευσεν, multò magis exundavit.

2. Per collationem *Reatus*, qui est *adjunctum* lapsus Adami, ejusq; *finis* & *effectus*, scilicet *Condemnationis*; cum dono *Justitiæ Christi*, ejusq; *fine*, scilicet *Justificatione*. Occurrit apud Apostolum, v. 16, 17. hujus comparationis

α. Πράξις, *Propositio*, v. 16. α. καὶ ἕως αὐτῶν ἀναπέψαντο τὸ δόγμα. *Neg.* ut illud quod introit (videlicet *reatus*, cujus confestim facit mentionem) per unum (Adamum) qui peccavit: ita est τὸ δόγμα, quod donatur. Sensus est: non per omnia respondere analogiam & proportionem, quæ intercedit inter *Reatum* peccati primi ad *condemnationem*: & inter *Justitiam Christi* ad *Justificationem* Hominum.

β. Ἐνθεοῖς, *exegetis*, *expositio*, vers. 16. b. Nam *reatus* quidem est ex una *offensa* ad *condemnationem*: quod autem *gratificatur* Deus, est ex multis *offensis* ad *Justificationem*. Apostolus indicat, *disparitatem* istam positam esse in *imparibus principiis* & *finibus*, tum *mali* Adamici, scilicet *ἁμαρτίας* & *κατάκριμα*, *reatus* & *condemnationis*: tum *boni* & *doni* à Christo, scilicet *χάρισμα* & *δικαιοσύνη*, id est, *justitiæ* *gratuitæ*, quam habemus in Christo, & *ejus effectus*, *Justificationis*.

Quomodo? 1. Τὸ ἁμαρτία, *reatus* est ab una *offensa*, scil. *primi* *Hominis*, ad *κατάκριμα*, *condemnationem*. At verò τὸ χάρισμα Christi non est ex una *offensa*, sed ex multis ad *Justificationem*. 2. *Reatus* est ad *condemnationem* ex *offensa* *prima* *effectivè*: quia lapsus Adami est *causa* per se *reatus* & *condemnationis*: *χάρισμα* autem non est ex *offensa* una vel pluribus *effectivè*; cum peccatum non sit *causa* *gratiæ* & *justitiæ*: sed tantum *occasionaliter* & per *accidens*.

γ. Ἐν ἐξήγησι, vers. 17. Etenim, si per unam illam *offensam* mors regnavit per illum unum; multò magis, qui *exundantiam* illam *gratiæ* & *doni* *justitiæ* recipiunt, in vita regnabunt per unum *Jesus Christum*. Declarat Apostolus & simul probat, quod dixerat v. 16. *χάρισμα* Christi esse *eis δικαιοσύνη*, & quidem longè *maiore* cum *virtute* & *efficacia*, quàm *ἁμαρτία*, *reatus* lapsus Adami sit ad *κατάκριμα*, *condemnationem*. *Argumentum* petitur à *δικαιοσύνη* effecto, videlicet *vita* *Regni* *cœlestis*, ut *sensus* sit: Si per unius *Hominis*

minis (Adami) lapsum unum mors regnavit: quantò magis per donum justitiæ ex περισσεία & abundantia longè majori (quàm scil.fuit offensæ Adamicæ) gratiæ regnabit vita, & per consequens ii, qui donum illud recipiunt, per unum Jesum Christum, Adamo longè majorem & superiorem?

Huc usq; se extendit Comparatio imparium, quam Apostolus instituerat inter Statum peccati & gratiæ.

Ε Π Ι Σ Τ Α Γ Μ Α. Placet heic subjungere alias quoque disparitates, quas Apostolus silentio præterit, non quòd negligendas censeret, sed quia præsentis argumenti non intererat, eas pertexere & enumerare. Nam ultra prædictas occurrunt adhuc tres aliæ non negligendæ,

α. In Personis, à quibus prædicta vel mala vel bona descendunt. Nam

1. Adam fuit υἱὸς ἀνθρώπου. Christus fuit quidem ἀνθρώπος Homo, ut patet ex 1.15. attamen non υἱὸς, sed simul Dei Filius, adeòque Deus ipse, Dominus è cælo. 1. Cor. 15. 47.
2. Adam fuit peccator. Fit enim mentio ejus lapsus & reatus. Christus fuit à peccatoribus separatus, Heb. 7. 26. 2. Corinth. 5. 21. absq; omni labe peccati & originalis & actualis. Luc. 1. 35. Job. 8. 46. 1. Pet. 2. 22.

β. In Objectis, sive Hominibus, ad quæ bona vel mala deferuntur. Nam

1. Adam univèrsam Genus Humanum per suum lapsum damnationi involvit.
2. Christi verò χάρισμα & justitia non pertinet ad omnes & singulos. Neque enim omnes & singuli Homines sunt Deo per Christum reconciliati, nec justificantur, nec salvantur: sicut omnes per Adamum damnantur.

Ratio discriminis hujus hæc est: quia maledictio, quam trahimus ab Adamo, ad nos derivatur per naturam, id est, per naturæ in Adamo hæreditariam corruptionem. hinc mirum non est, si fermentum hoc pervadat totam massam. At verò donum Justitiæ, quod à Christo habemus, non descendit ad nos per naturam, sed per gratiam indebitam. Hinc nemo doni hujus & gratiæ particeps fit, aut fieri potest, nisi Christo per fidem incorporètur. Itaque ut miser à quis peccati & mortis hæreditate potiatur, sufficit, esse

esse Hominem; quia in carne & sanguine malum omne hæret: ut verò justitiæ quis & salutis particeps fiat, fidelem esse necessarium est, quia non nisi per fidem hujus beneficii hæreditas adiri potest. Infantes quod attinet, diversa eorum ratio habent enim in fœdere jus adoptionis, quo in Christi communionem transeunt. Quod posset in contrarium moveri, discutiam in *Questionibus*.

γ. In *Modo*, quo deferuntur mala & bona. Nam

1. *Ad* peccato non per solam reatus ejus imputationem damnamur, ac si alieni peccati, ad nos nihil pertinentis, pœna à nobis exigeretur: sed idè ejus pœnam sustinemus, quia tùm culpæ ipsius sumus participes; tùm in ipso per & propter imputatum reatum, natura nostra ita vitiata est, ut propter hanc corruptionem duplici reatu obstricta sit Deo.

2. At per *Christi* justitiam alio modo restitui mur. Neq; enim idè nobis accepta fertur ad Justificationem coram Deo, quia ex ea trahimus Sanctificationem & Justitiam inhærentem: hæc enim cùm sit in hac vita imperfecta, & variis nævis maculata, non potest eam habere proportionem ad nostrum coram Deo *δικαιωσις*: quam habet corruptio nobis congenita ab Adamo ad nostrum *κατάνομον*. sed quòd Christum cum bonis ejus omnibus Patris largitate nobis donatum possidemus.

II. *Concluditur* vers. 18. 19. Comparatio superiùs instituta & commemorata: dum iterum Apostolus Adamum cum Christo, & utriusq; effecta cum suis causis confert, atque in primis illud porò declarat, quod paulò antè dixerat, vers. 17. quòd, qui donum accipiunt justitiæ, sint regnaturi in vita per Christum. Occurrit ergo heic Comparationis hujus

1. *Propositio*. v. 18. Nempe igitur, sicut per unam offensam (reatus venit) in omnes Homines ad condemnationem: ita per unum *δικαιωσις* justificationem, (beneficium redundavit) in omnes Homines ad justitiam actionem vitæ. Sensus est: Sicut offensæ unius reatus, videlicet Adam, est causa condemnationis omnium Hominum: sic unum *δικαιωσις*, scilicet Christi, est causa justificationis vitæ omnibus, ad Christum pertinentibus. Opponit ergo Apostolus in hac comparatione

α. *παραπτώματι* Adami, *δικαιωσις* Christi.

β. *κατάνομον* Adami ex illo *παραπτώματι*, *δικαιωσις* vitæ per

Christum, quâ videlicet vita æterna credentibus adjudicatur.

2. *Confirmatio*, v. 19. *Sicut enim per illam inobedientiam, unius illius Hominiis, peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam iusti constituentur multi.* Quibus verbis Apostolus effecta illa gemina probat ex causis contrariis,

Reatum nimirum ad condemnationem, ex *inobedientia* prima Adami, per quam peccatores constituti sunt ex Adamo naturaliter descendentes:

Δικαιοσύνη verò, seu *justitia* Christi, Dei beneficio imputata, ex illius *obedientia*, per quam iusti constituuntur, quotquot eam fide apprehendunt.

Summa est, propterea per offensam Adami condemnari Homines, & per justitiam Christi vitam adjudicari Hominiibus: quia per offensam Adami seu inobedientiam rei constituentur Homines; per Christi autem justitiam sive obedientiam iusti constituentur Homines.

III. *Vindicatur* deniq; sub finem Capituli hujus superior Apostoli doctrina prolepticè contra tacitam objectionem, v. 20. *Lex verò præterea introiit, ut redundaret offensum illa: sed ubi redundavit peccatum, ibi redundavit gratia illa. v. 21. ut quemadmodum regnaverat illud peccatum ad mortem: ita etiam gratia illa regnaret per justitiam ad vitam æternam, per Jesum Christum, Dominum nostrum.*

Objicere quis potuisset: Si ita est, ut dicis, obedientiâ Christi nos justificari, adeòq; salvari; sicut Adami inobedientiâ rei constituimur & damnatur: frustra nobis data est Lex: quod per absurdum.

Respondere vult Apostolus per negationem consequentiæ. Nam, etsi non hoc fine data sit Lex, ut nos per obedientiam nostram propriam, quam Lex à nobis exigit, justificemur: attamen alio gemino fine data est.

1. *Ad augmentum Peccati*, v. 20. *Lex verò præterea introiit, ut redundaret offensum illa.* Indicat Legem, Mosis scilicet, intervenisse inter lapsum Adami & obedientiam Christi, ut lapsus Adæ augetur. Quomodo?

α. Quia Lege latâ imputatur omnibus.

β. Quia occasione Legis gignit plura alia peccata actualia, & peccatum fit magis peccans. *Rom. 7. 13.*

γ. Quia post Legem magis cognoscitur. Nam, ut supra.

suprà dixerat, v. 13. peccatum esse non putatur non existente Lege. Ergo Lex prodit & in apricum producit peccata. Hinc suprà Cap. 3. 20. dixerat: per Legem esse agnitionem peccati. Notandum hoc, ne justitiam quæramus in Lege, cum peccatum augeat, ad eoque reatum & condemnationem.

2. Ad augmentum Gratia, consequenter, v. 20. b. ubi redundavit peccatum, ibi superabundavit gratia. Quomodo? *α.* Augescentibus per Legem peccatis, gratia augetur, quia aufert & delet omnia peccata. *β.* Respectu cognitionis illustrior redditur gratia Dei.

Probat ex effectu & fine: quia regnat per justitiam ad vitam æternam, sicut peccatum regnavit ad mortem, v. 21. ubi Regnum mortis & vitæ Apostolus iterum inter se committit: & in Regno vitæ offert gradatim considerand.

- α.* Bona seu beneficia, } *Principium, Gratiam DEI.*
 } *Medium, Justitiam.*
 } *Finem, Vitam æternam.*
β. Benefactorem seu conciliatorem horum beneficiorum, IESUM CHRISTUM, Dominum nostrum, cujus unius merito debetur hæc gratia, justitia & vitæ.

QVÆSTIONES.

Quæst. I. Quid Apostolus vers. 12. intelligat nomine τῆς ἀμαρτίας, peccati, cujus bis facit mentionem?

Resp. Qui hoc nomine negant intelligi peccatum Adæ nobis imputatum, fallunt & falluntur. Quanquam enim peccatum inhærens, ceu corruptio nativæ, consequitivè etiam sub ambitu hujus nominis intelligi possit, propter individuum utriusque peccati nexum; idemq; nomen sæpius sumatur de Peccato inhærente: tamen hoc loco primò & propriè Apostolus non nisi lapsum primum Adæ indigitare voluit.

Rat. 1. Quia Paulus voluit causam primam condemnationis generis Humani indigitare. Hæc autem non est corruptio nativæ, hæreditaria; sed lapsus ἀπέσπασεν, ex quo manavit quoque illa corruptio.

2. Quia, juxta Pauli ἀρτίστον & ἀνύχαριστον, peccatum unius Hominis opponitur justitiæ unius Hominis, & quidem in ordine ad condemnationem ab una parte, Adami & posterorum; & Justificationem ab altera parte, fidelium Christianorum. Atqui in opposito intelligitur, saltèm in hac materia & controversia de Justificatione, juxta scopum Apostoli, nequaquam justitia inhærens, sed imputata: quia Apostolus hoc Capite persequitur adhuc Doctrinam de Justificatione, & demùm in seqq. incipit agere de Sanctificatione. Necessum est ergo, ut per oppositum peccatum intelligatur non inhærens, sed imputatum.

3. Hinc porrò ex effectibus oppositis, videlicet Justificatione per Christi obedientiam, & condemnationem per Adami ἀμαρτίαν, potest colligi, (cum, quo sensu sumuntur effecta, eodem sumi debeant causæ) per peccatum Paulum non intelligere

peccatum Adami, ut sic loquar, originatum, nobis inhærens; sed originans, id est, lapsus primævum.

4. Imò porro dici potest, *Mortis* vocabulo ipsam quoque corruptionem nativam comprehendi. Hæc enim est. *α.* Pœna peccati primi seu lapsus Adamici. *β.* Quod corruptio est in Corpore, mortalitas scilicet & mors tandem ipsa consummata, divulsio nimirum Corporis ab anima, id est destructio Imaginis Dei in Anima, divulsio ejus à principio & fonte Vitæ, Deo. *γ.* Quia corruptio hæc non potuisset sub respectu alicujus (NB) vel pœnæ; vel etiam reatus transire in posteros; nisi ex illo pœnali principio lapsus primi.

5. Succinunt *versui* huic 12. *versus* 18. & 19. hujus Capituli, quibus comparatio *versu* 12. inchoata magis explicatur & concluditur. Nam lynceo oculo Pauli textum inveniunt, quod Analysis nostra facile indigitare potest, patet, quod Paulo *vers.* 12. est *ἀμαρτία*, causa mortis, id v. 18. ei est *ἡ ἀπειθεία*, causa Condemnationis, & v. 19. *ἡ ἀπειθεία*, inobedientia seu transgressio primævæ, causa reatus.

Objic. 1. Verbum *εἰσαλθεῖν*, introire in Mundum, non posse accipi de peccato imputato, sed propagato.

Resp. Hoc verò postulatur per petitionem principii. *Rat.* 1. Quia licet peccatum ipsum actuale non transeat, transit tamen ejus reatus. *Simil.* ut quum reatus Vasalli, quo læsit Majestatem, transit ad posteros: quum Achani peccatum *Jos.* 7. transit ad totam ipsius familiam. 2. Quia etiã ipsa Christi justitia pervenit ad nos, fatentibus ipsis Adversariis, nō tantum per sanctificationem, sed & imputationem. 3. Adde, dici posse peccatum introisse in Mundum, quia primum in Mundo, videlicet generis Humani, esse cœpit.

Objic. 2. Actionem singularem unius non posse dici introire in alium, quia scilicet sit transiens.

Resp. Si *τὸ transiens* esset evanescens, largiremur. Sed lapsus Adami non potest dici hoc sensu transiens, vel ipse, vel etiam posterorū respectu. *Rat.* 1. Quia Adamo reliquit & reatum & corruptionem. 2. Posteris, juxta Novatorum sententiam, reliquit corruptionem. Ergo non transit profus. Transit autem, dices, reatus? Ego verò respondeo. *α.* Transitum eundem intelligendum esse in posteris tum reatus, tum corruptionis, qui in Parente Adamo ex Dei fœdere & pacto, in quo non personaliter Adamus solus, sed & omnes posteri ejus fuere conclusi. *β.* Hinc corruptionem non potuisse dimanare ad posteros, absque reatu imputato primi peccati. *Rat.* Quia Corruptio hæc non potuisset esse pœna posteris: neque etiam aliquem tecum traxisset reatum, uti ante dictum.

Quæst. II. Quid sibi velint illa Apostoli verba, *vers.* 12.

ἰφ' ὃ πάντες ἠμαρτήσαμεν?

Resp. Novi circumferri diversas Interpretationes. Vulgato & Beza, imò plerisque aliis ex Patribus Græcis & Latinis, imprimis Augustino, tantundem valet, atque, *in quo peccaverunt*, ut *τὸ ὅτι* referatur ad Hominem primum, Adamum, per hyperbaton. Aliis secus videtur, imprimis Novatoribus, qui insuper habito alto consensu Ecclesiæ veteris & recentioris, herbam aliquam Pelagianis præbendo, negant imputationem peccati primi Adamici, & volunt verba sic transferenda: *quia*, aut *quatenus*, aut *ed quòd peccaverunt*. Aliis utraque interpretatio, salvâ tamen orthodoxâ doctrinâ de Peccato originali, & imputatione Peccati primi, *ἀδίαφο* est.

Sententia mea est, 1. Nullam esse necessitatem cogentem, ut recedamus à communi & recepta translatione IN QVO. *Rat.* *α.* Quia notum est, relativa non semper ad proxima, sed sæpè remota verba transferri. *β.* Quia τὸ *[ἐν]* in Scriptura sumi non

non raro pro [cō] non potest ignorari, nisi ab iis, qui hospites agunt in Scriptura. 2. Posito, τὸ [cō] sumendum *causaliter*, pro *quia, ideo quoddam, &c.* nihil proficiunt impugnatores imputati peccati Adamici.

Rationes sunt. 1. Quia per hanc ἀπολογία omnes Homines peraguntur rei Mortis, ex participatione peccati primi Hominis, tanquam causæ Mortis. Ergo necessarium est, eos esse reatus illius participes, quod aliter fieri non potest, nisi per imputationem. Nam si regerant propagationem corruptionis: vicissim dico, uti ad Quæstionem præcedentem monui, negatâ reatus primi imputatione, corruptionem illam nec posse habere rationem pœnæ, nec culpæ: quorum utrumq; omnium sanorum consensu est absurdissimum. Non, inquam, *pœnæ*. Cur enim præstarent Filii Parentum culpam ad se non pertinentem? Neque *culpa*. Quid enim culpæ adhereret morbo, quem Filii suo vitio & culpâ non attraxerunt? 2. Quia expressè dicitur de ipsis in Aoristo, ἡμεῖς ἥμαρτον, *peccarunt*. Indigitatur utique heic actus peccati, non corruptio innata. 3. Ne quis cavilletur, indefinitè sumi verbum de quovis tempore, quo omnes Homines peccare solent actualiter, ut de ipsorum quoq; peccatis sint accipienda verba; obstat exemplum *Infantum*, qui, uti sunt morti obnoxii, ita non possunt excipi à verbo ἡμεῖς, qui tamen nunquam dici possunt actualiter peccare & peccavisse in se, sed tantum in Adamo.

Qui plura heic desiderabit, adeat *Tractatum Viri clarissimi, & Ecclesiis orthodoxis, in Gallia præferim, propter novissimam ejus ὀφθαλμίου, desideratissimi, D. Antonii Garrioli, de Imputatione peccati primi Adamici, cap. 8.* ubi locum hunc Pauli contra τὸν ἐξ-
ἑστῶν strophas fusè & solidè vindicavit.

Quæst. III. Nunquid videatur esse Justitiæ Dei contrarium, dicere, posteros Adami peccasse in ipso, & sic reos factos mortis per imputationem peccati illius primi Adami? *Rat. dub. ex Ezech. 18.*

vers. 20.

Resp. Nulla heic ἀδίκη. 1. Si etiam in Humano judicio culpæ Parentum imputatio, quæ fit liberis & posteris, ad exheredationem, proscriptionem & alias pœnas, vacat culpâ: cur ea non valeret in judicio Dei, cujus ἀντιθέσια & justitia superat omnes Humani ingenii coccyismos, *Psal. 51. 6. Job. 34. 10, 11, 12.* 2. Locus *Ezechielis* agit de æquitate & consuetudine Dei ordinaria atque ἐπιχειρία, cui Deus ita se non adstrinxit, quin pro suo, interim justissimo, placito possit nonnunquam agere secius, quod vel ex comminatione, *Præcept. 2. Decalogi* annexâ, patere potest, *Exod. 10. v. 5.* 3. Adde, locum *Ezechielis* agere de peccatis Parentum personalibus, quæ non semper sunt hæreditaria. Atqui peccatum primum Adæ non fuit personale, sed ei cum tota Natura & posteritate in ipso radicatâ commune, ex primo fecdere, nō singulari, sed communi, cum ipso inito, uti suprâ monui.

Quæst. IV. Quid sibi velit illud, *vers. 13. ἀμαρτίαν οὐν ἐπινοήσατε, μὴ εἶναι νόμος?*

Occurrunt heic translationes dissonæ. *Vulgat. Peccatum non imputatur.* Beza in posteriorib. edit. *Peccatum non esse putatur.* Piscator: *Peccatum non reputatur, &c.* eodem sensu. Sic Syrus interpres. Lutherus quoque: *Da kein gesatz ist / da achret man den sünde nichts.*

Novatores primam interpretationem de non imputatione peccati avidè arripiunt, ut hinc evincant, peccatum hoc, quod Apostolus dixit fuisse in Mundo, nondum existente Lege, non esse peccatum primum Adæ: 1. quia hoc fuerit transiens: 2. quia Lex Adamo lata cessaverit. Ergo quoque peccatum primum Adæ non fuisse imputatum.

Resp. 1. Malo insistere Interpretationi posteriori, ut sensus sit: Vbi non est Lex, ibi nulla est vera æstimatio, cognitio, sensus peccati, uti quoque in Analyfi monitum, ut respondeat iste locus alteri *cap. 4. v. 15.* 2. Quod si cui magis placeat vox *Imputationis*, ut sensus sit, peccatum, ubi non est Lex, Homini non imputari ad pœnam: noæ absolute, sed comparatè locus fuerit accipiendus, ut sensus sit: *Quamquam latâ Lege peccati reatus sit evidentior & gravior; hinc que videri possit, quasi Lege nondum latâ nullus fuisset reatus in Hominibus & peccati imputatio: tamen contrarium patere ex effectu peccati, scilicet Morte, quæ jam ante Legem grassabatur, vers. 14.*

Quicquid sit, nullum hinc Novatoribus vel subsidium, vel *αποφύλαξιν* pro negata imputatione peccati primi. Atqui inter Adamum & Mosen non fuit amplius peccatum primum. *Rat.* quia cessaverat Lex Adamo tradita. *Resp.* Fuit & Lex, & peccatum. 1. Lex fuit, quoad vim & obligationem omnibus Adami posteris in ipso perpetua; præsertim quia Lex particularis interdicti fuit *παρανομία*, experimentalis Legis communis Naturæ, Homini primo, & in ipso omnibus posteris primitus impressæ, & dehinc per Legem Mosis instauratæ. 2. Peccatum fuit, non quidem actus sui, sed reatus perpetui respectu.

Quæst. V. Quosnam Apostolus *vers. 14.* per eos intelligat, qui non peccârunt ad similitudinem transgressionis Adami?

Resp. 1. Quidam intelligunt omnes eos, qui vixerunt ante latam Mosis Legem. Hos dici non peccasse ad similitudinẽ illius transgressionis; quia cum Adam peccaverit contra expressum Dei mandatum, hi peccaverint absque mandato: cum Lex demùm fuerit per Mosen data. Sed obstat, ut eruditè Beza observavit, particula *οὐκ*, quæ insinuat aliquam exceptionem & discrimen inter eos, qui vixerunt ab Adamo ad Mosen, ut sensus sit, Mortem regnasse in omnes illos absque exceptione, etiam in eos, qui peccârunt ad similitudinem Adami. 2. Censeo itaque, discrimen etiam fieri inter *Adultos & Infantes*, in infantia morientes: quorum isti ad similitudinem Adami præsupponuntur peccasse, quia peccatis actualibus variis se contaminaverunt. *Infantes* autem negantur ad similitudinem Adami peccasse, quia actualiter peccare non potuerunt. Interpretatio hæc est Apostoli scopo admodùm cõsentanea, quippe qui ostendere voluit, omnes Homines reatu Adami involutos, etiam actualiter non peccantes, hincque ipsos quoque *Infantes* nasci fontes & reos.

Si quis *νοησίν* hoc vellet ulteriùs extra scopum Apostoli extendere, & hinc arguere: Infantes ne quidem in Adamo peccasse, adeoque commentitiam esse imputationem peccati, quia negentur peccasse ad similitudinem Adami.

Resp. 1. Hanc argutationem Apostoli scopo, de quo jam dixi, adversaturam, qui reatum universalem omnium Hominum, etiam Infantum, ex effectu ejus, scilicet Morte, voluit arguere. nullus autem esset Infantum reatus absque imputatione peccati primi. 2. Licet teneantur reatu peccati primi, tamen dissimilitudini ipsius intercedenti cum Adamo id non obstat, propter geminam causam: *α.* Quia peccato actuali proprio destituuntur: *β.* Quia peccatum actuale Adami non perpetrârunt in se & per se, sed in Adamo & lumbis ipsius.

Quæst. VI. de Vocibus antitheticis occurrentibus in comparatione Paulina *vers. 12. & seqq.* quomodo sint accipiendæ?

Resp. Quantumvis partim ex Analyfi, & ex *Quæstionum* præcedentium discussione, facile innotescere potuerit earum sensus & significatio: tamẽ placet heic in Schemate, attamen *καὶ τὸ αὐτὸ* textus Apostolici, eas veluti subjicere omnium oculis.

IN STATVS PECCATI
& MISERIE descri-
ptione occurrunt
voces.

1. Ἀμαρτία. v. 12. bis. Intel-
ligitur primò & propriè lapsus
Adami.

2. Θάνατος. Ibid. & v. 17. &
21. lapsus illius effectus, Mors,
tùm corporalis, tùm spiritua-
lis; temporalis & æterna.

3. Ἡμετέριον, peccaverunt. *Ibid.* De actuali peccato pro-
priè accipienda vox, & nomi-
natim de primo illo lapsu
Adamico.

4. Ἀμαρτία iterū v. 13. bis.
Intellegitur peccatum Adæ impu-
tatiū, de quo v. 12. cum annexa
ei corruptione nativa, quæ
vulgo Peccatum originale vo-
catur: consequenter etiā pec-
cata alia actualia connotatur.

5. Παράνομος, transgressio
Adami. v. 14. Intellegitur ite-
rum lapsus primævus.

6. Παράνομος, v. 15. bis,
& v. 17. & 18. idem cum ἁμαρ-
τία. In plurali v. 16. fit men-
tio ἁμαρτιῶν. Intelleguntur
peccata omnia poste-
riorum Adæ.

7. Κελεύω. v. 16. Intellegi-
tur Reatus primi peccati, qui
ab Adamo imputativè deri-
vatur in omnes posteros.

8. Κατάκριμα. v. 16. κρί-
μα effectus, scilicet conde-
mnatio. Sic quoque v. 18.

9. Παράκλησις, inobediencia,
& v. 19. eadem cum ἀμαρτία,
v. 12. cum ἁμαρτία, v. 14.
& ἁμαρτία. v. 15, 17, 18.

10. Ἀμαρτωλοί. v. 19. Intel-
liguntur fontes aut rei pro-
pter peccatum coram Deo,
voce acceptā in significatione
forensi: sicut apud Hebræos
Chattaim.

11. Παράκλησις iterū v. 20.
ubi

IN STATVS GRATIÆ descri-
ptione occurrunt
voces.

1. Χάρις, v. 15. Opponitur hæc vox τῷ ἁμαρ-
τιώματι. Sed quia Paulus τῷ ἁμαρτιώματι voce voluit
Synædochieè indigitare totum Statum Miseriæ: pu-
to eum voce χάρις voluisse indigitare totam
Oeconomiam Status gratiæ, quod exegesis in verbis
sequentibus satis insinuat.

2. Χάρις τοῦ Θεοῦ, gratia Dei, v. 15. Intellegitur Amor,
Misericordia Dei.

3. Δωρεὰ ἐν χάριτι. Ibid. est χάρις & gratiæ illius
effectum. Intellego Christi iustitiam five obedientiam
nobis gratiosè à Deo per fidem donatam: quia *ibid.*
v. 15. & postea v. 19. opponitur τῷ ἁμαρτιώματι & lapsui
Adami.

4. Δωρεὰ. v. 16. Videtur quodammodo distingue-
re Apostolus inter δωρεὰν, donationem, & δώρημα, donum
ipsum: ut voce priore emphaticè designet ἐπίρρησιν &
modum gratiosæ imputationis: posteriore verò δώρη-
μα & donum ipsum, quod nostrum fit per donatio-
nem, videlicet Iustitiam.

5. Χάρις iterum v. 16. Intellego iterum per συμ-
ποικίλῃ gratiam, tùm gratis dantem, ut vocant, tùm
gratis datam, id est, donum Iustitiæ, de quo v. 15.

6. Δικαίωμα. Ibid. Iustificatio intellegitur, quæ est
Iustitiæ Christi δωρεῶν & effectum: jus videlicet
vitæ atque hæreditatis cœlestis.

7. Περιορέα τῆ χάριτος, v. 17. Vox τῆς περιουσίας in-
digitat collationem majoris boni & beneficii cum mi-
nore malo & maleficio. χάρις idem significat quod
v. 15. causam scilicet primam nostræ Iustificationis &
salutis, Dei misericordiam.

8. Δωρεὰ τῆ δικαιοσύνης. Existimo intellegi illud i-
psum δικαίωμα, cujus mentio facta v. 16. id est, donum
Iustificationis.

9. Δικαίωμα. v. 18. Puto, vocem δικαίωμα non
tàm late sumendam atq; v. 16. quia distinguitur heic à
δικαιώσις. Itaque cum opponatur τῷ παρανομίῳ Adami,
id est, ejus inobedienciæ; puto per hoc δικαίωμα
esse intelligendam ex Lege oppositorum Christi iusti-
tiam in ipso residentem.

10. Δικαιοσύνη ζωῆς, iustificatio vitæ. Ibid. Effectus
δικαίωμα, iustitiæ Christi. quo nomine intellegitur
non tantum Remissio peccatorum, five absolutio à
condemnatione; sed & adjudicatio Vitæ & gloriæ cœ-
lestis. Idè vocatur emphaticè Iustificatio VITÆ.

11. Ὑπακοή, obedientia. v. 9. Opponitur τῷ ἁμαρτιώματι
Adami, quæ, quum fuerit transgressio Legis, per quam
damnatur; necesse est, hanc ὑπακοήν esse obedi-
entiam.

ubi quoque vocatur ἀμαρτία, v. 21. ut sciamus, voce ἀμαρτίας Paulum v. 12. voluisse primò intelligere lapsum primū Adami: consequenter tamen, ut supra dixi, includere voluisse corruptionē nativam cum suis fructibus.

tiam Legis, per quam justificamur. Quæ & qualis sit hæc obedientia, dicitur inferius.

12. Δικαιοσύνη, v. 21. nulla alia intelligitur aut intelligi potest, nisi Justitia illa, quæ in Christo est *subjectivè*: ad nos autem transit *impunitivè*. Patet ex eo, quòd Apostolus dicat v. 21. Justitiam hanc a. pendere à gratia Dei: β. regnare ad vitam æternam: γ. per Jesum Christum, Dominum nostrum.

Quæst. VII. An gratia Dei nobis in Christo collata sit universalis, quæ pertineat indiscriminatim ad omnes & singulos Homines? *Rat. dubis. ex*

συγγενεῖαν Adami cum Christo, in primis *vers.* 18; ubi dicitur *δικαιοσύνη* Christi redundasse in omnes Homines, sicut reatus unius *ἀδικασίας* venerit in omnes Homines.

Resp. 1. Si perinde *δικαιοσύνη* Christi pertineret ad omnes & singulos Homines, uti Adami *ἀδικασία*; sequeretur, omnes Homines justificari, & per consequens salvari, quòd contrarium est experientiæ. Dicit enim Apostolus, *δικαιοσύνη* illud redundasse in omnes ad justificationem vitæ. Atqui innumeri & major Hominum pars excluditur à justificatione & vita, & manet in condemnatione, quia destituitur fide justificante. 2. Ergo per omnes intelliguntur non omnes simpliciter, sed omnes illi, qui pertinent ad Christum: & omnes non opponuntur paucis, sed uni, scilicet Christo, cui adherent per fidem.

Objic. 1. Si Adam omnes simpliciter perdidit, Christus verò non omnes sine exceptione servavit; non constabit Pauli comparatio.

Resp. Non sequitur. Comparatio enim non est in numero perditorum aut servatorum; sed partim in rebus bonis & malis, quæ ab Adamo & Christo communicantur Hominibus, videlicet peccatò & justitiâ, morte & vitâ: partim etiam in modo communicationis, per imputationē tum peccati, tum justitiæ.

Objic. 2. Ergo Adam videtur fortior fuisse ad perdendum, quàm Christus ad servandum. Atqui Christo tribuitur ab Apostolo *ἐξουσία* gratiæ & justitiæ, v. 15, 17, 18.

Resp. 1. Virtus & abundantia gratiæ non est æstimanda ex numero aut multitudine servatorum: neq; etiam, si omnes servarentur, aliqua heic abundantia foret, sed potius æqualitas. Quin si vel unus tantum per Christum salvaretur, constaret gratiæ atq; justitiæ sua abundantia. Majoris enim est virtutis, unicū mortuum vitæ restituere, quàm mille homines interfectioni dare. Adde, abundantiam in eo quoque se exerere, juxta indicium Apostoli, v. 16. quòd cum reatus ab una Adami offensa dimanaverit ad omnes Homines: gratia & *δικαιοσύνη* Christi ex multis offensis procedat ad credentes. 2. Quòd salus Christi non pertingat ad omnes, non fit ex defectu & imbecillitate virtutis Christi ejusque meriti; sed ex defectu fidei eorum, qui malunt in infidelitate & impietate perire, quàm Christum per fidem amplecti.

Quæst. VIII. Quæ aut qualis Obedientia Christi intelligatur *vers.* 19. inobedientiæ Adami opposita?

Resp. Sunt qui intelligant tantum *obedientiam*, quam vulgo vocant *passivam*, quâ Christus speciali Legi Patris de morte pro nobis obeundâ satisfecerit. Atqui 1. in verbis Apostoli nulla fit mentio obedientiæ huic speciali mandato Patris exhibitæ. 2. Speciale mandatum Patris nullum fuit, quo meritum Christi fuerit restrictum tantum ad ipsius

ipſius paſſionem & mortem: cum Chriſtus à Patre miſſus fuerit cum mandato non ſolum patiendi & moriendi pro nobis, ſed & implendi totam Legem. *Matth. 5. 17, 18. Gal. 4. 4. Rom. 10. 4.*

Dicendum ergo, per *Obedientiam* hanc Chriſti intelligi non tantum eam obedientiam, quam exhibuit Deo Patri in paſſione ſua & morte: ſed totam totam vitam obedientiam; quã non ſolum comminationi Legis ſeſe ſubmiſit, poenã peccatorum noſtrorum in ſe voluntariè ſuſcipiendo: ſed & Legis jugo ſe noſtro loco ſubjecit, ad ſatisfaciendum omnibus mandatis atque præceptis Legis, quam vulgò vocant *obedientiam activam*. *Rat. 1.* Quia opponitur obedientia Chriſti, inobedientiã Adami, quã utique activa fuit, quã ipſe mandatum Dei fuit tranſgreſſus. *2.* Quia intelligitur ea Obedientia, quã pronunciamur juſti ſecundum Legem. Dicit enim Apoſtolus, *nos per obedientiam Chriſti juſtos conſtituit, v. 19.* Atqui non ſolum ex paſſionibus Chriſti & perſeſſione poenarum noſtro loco, juſti pronunciamur: imò niſi obedientia activa paſſionibus ejus fuiſſet connexa, non poſſemus per & propter eas juſti pronunciarì; niſi quis dicere velit, eum, qui propter peccata ſua patitur & punitur, ea de cauſa juſtum eſſe pronuncian- dum: ſic Diaboli & damnati in Inferno juſti eſſent pronuncian- di. Itaque juſti pronunciamur propter imputatam nobis eam obedientiam Chriſti, quã non ſolum minis, ſed & mandatis Legis pro nobis ſatisfecit. Nam is demum in Lege & à Lege juſtus pronunciat, qui fecerit omnia, quã ſunt Legis, *Levit. 18. 5. Ezech. 20. 11.* cui oneri cum nos impares eſſemus, Chriſtus illud in ſe ſuſcepit, *Rom. 8. 4. 5.* ut procuraret nobis omnem juſtitiam, & nos non ſolum à *maledictione* Legis liberaret, ſed & *promiſſionis*, quã Vita æterna atque cœleſtis obedientibus promittitur, participes faceret.

Objic. 1. Paulum opponere obedientiam Chriſti inobedientiã Adami, quã iſ ſpeciale mandatum Patris, de abſtinendo à fructu certæ arboris in Paradiso, fuit tranſgreſſus.

Reſp. Atqui ſpeciale hoc mandatum virtutem in ſe continèbat totius Legis moralis, de dilectione Dei & proximi: & ſpectabat ad examen obedientiã totius Legis, quã primi Hominiſ animo fuerat inſculpta. Hinc quoq; prævaricando mandatum illud ſpeciale, tranſgreſſor factus eſt totus Legis.

Objic. 2. Obedientiam paſſionis & mortis Chriſti ſufficere ad noſtram Juſtificationem: quia ſufficiat ad Remiſſionem peccatorum.

Reſp. Atqui gratis hoc poſtulat, Remiſſionem peccatorum ſufficere ad noſtram Juſtificationem. Id jam ſuperius eſt expoſitum. Nam ad perfectam noſtram coram Deo Juſtificationem id non ſufficit, ut à culpa atque poena noſtrorum peccatorum abſolvamur; quod beneficium nobis contingit propter ſatisfac- tionem comminationi Legis à Chriſto loco noſtro præſtitam: ſed inſuper hoc requiritur, ut propter perfectam obedientiam mandatis Legis præſtitam, à *gloria* & juſ vitæ, gloriæ & hæreditatis cœleſtis nobis adjudicetur, juxta promiſſionem prius memoratam, *Levit. 18. 5.* quod beneficium propriè contingit per & propter imputatam juſtitiam Chriſti, ſive conformitatem totius naturæ & vitæ ejus cum Lege.

Objic. 3. Chriſtum ad iſtam obedientiam obligatum fuiſſe non pro nobis, ſed pro ſemet-ipſo: tanquam Hominem.

Reſp. Atqui non propter ſemet-ipſum, ſed propter nos factus eſt Homo, ut poſſet in aſſumpta ſervi forma, omnem ſervitutem, Legis tum mandatis, tum minis debitam, præſtare. Hinc obligatio ad Legis obedientiam pertinet ad ſtatum ſervitutis ejus & humiliationis, ut nunc Homo licet manens, in Statu gloriæ non amplius poſſit dici obnoxius jugo Legis, quippe qui ſit ſupra omnem Legem.

Objic. 4. Si obedientiã eã Chriſti juſtificaremur, quã ipſe implevit mandata Le-

gis: sequeretur, nos ab obedientia hac esse exemptos. quod sit absurdum.
Resp. 1. Non magis hoc sequitur, ac si quis dicat, nobis non amplius esse propter peccata patiendum & moriendum, quia Christus loco nostro pro peccatis passus & mortuus fuerit. 2. Itaque sciendum, nobis non amplius incumbere dominium & jugum Legis, quo rigorose perfecta Legis obedientia exigitur, & quidem eum in finem, ut per eam vitam æternam promereamur. 3. Interim tenemur ad obedientiam Legi, quantum hujus seculi infirmitas patitur, præstandam, ut hac ratione fidem nostram, & gratitudinem erga Deum reficiamus, & manifestum fiat, Christum nos non tantum à culpa & pœna, sed etiam à regno & dominio peccati liberasse.

CAPVT VI.

DESCENDIT jam Apostolus ad alterum *Justificationis effectum*, externum magis, videlicet SANCTIFICATIONEM. Tractat hunc locum prorsus *à nouo uagnis*, diluens & refutans varias *Objectiones*, tum ex superiore doctrina de *Justificatione*, tum ex hac de *Sanctificatione* emergentes.

Objectiones autem sunt tres, quarum *prima* & *secunda* hoc Capite, *tertia* seq. Cap. VII. diluitur.

DE OBIECTIONE PRIMA.

Ad *Sanctificationis* doctrinam transitum facit per *Objectionem*, occasione superioris doctrinæ de *Justificatione*, in primis verborum, quæ proximè præcesserant, *Cap. V. v. 20. Lex introiit, ut redundaret offensa, & hinc quoque gratia.*

Obiectio vers. 1. habetur: *Quid igitur dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia auctior fiat?* Sensus est:

Si aucto peccato augetur gratia, ergo permanendum in peccato. *Rat.* ab effectu utili: quia per peccatum illustrior redditur Dei gratia.

Atqui absurdum & impium est consequens.

Ergo & antecedens.

Superius quoque *Cap. 3. v. 7. 8.* attigit hanc objectionem, aut potius calumniam, sed brevius, differens ejus refutationem in hunc locum. Alibi quoque *Gal. 2. 17.* eandem proponit & perstringit. Hæc nimirum est cæcæ & impie rationis Humanæ consequentia, quam necit ex doctrina de Gratia Dei, & gratuita per fidem *Justificatione*. Exemplo sunt *Pontificii*, quorum simili